Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8342
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



XVI

Fratres ℣ Scitis quod hi qui in stadio currunt omnes quidem currunt sed unus accipit bravium ℣ Sic currite ut comprehendatis ℣ Omnis enim qui in agone contendit ab omnibus se abstinet ℣ Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam ℣ Ego igitur sic curro non quasi in incertum ℣ Sic pugno non quasi aerem verberans sed castigo corpus meum et in servitutem redigo ne forte cum aliis predicaverim ipse reprobus efficiar ℣ Nolo enim vos ignorare fratres quia patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt et omnes in moyse baptizati sunt in nube et in mari ℣ Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt et omnes eundem potum spiritalem biberunt ℣ Bibebant autem de spiritali consequente eos petra autem erat Xpus

Adiutor in opportunitatibus ℣ Gaudete iustus in domino rectis decet laudatio ℣ Exultate iustus in domino ℣ Dum recedit homo peccator in profundum malorum contemnit ℣ Sapiens in corde suo et non in fine obstinatus erit ℣ Pauper et egenus laudabunt nomen tuum domine ℣ Memento mei domine dum veneris in regnum tuum ℣ Exaudi domine vocem meam qua clamavi ad te domine ℣ Fiat aures tue intendentes in vocem deprecationis mei ℣ Si iniquitates observaveris domine domine quis sustinebit ℣ Quia apud te propitiatio est et propter legem tuam sustinuit te domine

Sequentia secundum matheum

In illo tempore dixit ihs parabolam hanc ℣ Simile est regnum celorum homini patrifamilias qui exivit primo mane conducere operarios in vineam suam ℣ Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam ℣ Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in